

1301

D O G M A T I C I.

1302

1313. generalis O. M. Ministri, et in hoc munere mox altero anno Romae defuncti, quas quidem memorant Bibliothecarii supracitati nullo tamen, ubi condantur, designato loco. Sunt porro numero, ut Elenchus subsequens eloquitur, XXI. eaque, quae chorum ducit, ita habet: *Primo queritur: utrum in una et eadem re simplici possint includi diuerse formalitates siue diuersa esse quiditativa &c.* Ultima vero finit: *et ideo propositio non verificatur nisi per synecdochen.* Post Elenchum adscripta est, et fuse tractatur Quaestio: *Vtrum aliqua essentia alia ab essentia prima sit ab eterno?* An et haec ad *Alexandrinum* pertineat, ignoro. Scholam certe Doctoris *Subtilis* aequae sapit.

IV. fol. demum 145. succedunt *Quaestiones Scoti de Anima.* Initium primae est: *Vtrum sensus tantus sit vnus uel plures. Videtur quod vnus, quia si essent plures, tunc essent plures quam quinque &c.* Numero sunt XXII. Elenchus tamen subiectus non ita eas praesentat, ut procedunt; procedunt autem eadem ratione, qua in suprac. *Opp. Scoti* Editione. T. II. p. 485. ubi queritur Commentator *Hugo Cavellus* O. M. Opus esse mutilum, nec emetiri totum *Aristotelem* περὶ Ψυχῆς. Interim ille una Quaestione, nempe 23. plus censet, quam Codex noster. *Waddingus* in *Censura* praevia trium *Codd. Vaticanor.* meminit, quibus hae *Quaestiones* insunt, et geminae vetustae impressionis *f. l.* et *a.* quam fane raram esse oportet.

Adscripta est ad calcem *Quaestio* proluxa: *Vtrum theologia sit scientia proprie dicta?* quae profertur: *Videtur quod sic. Sicut se habet lumen naturale sensus ad lumen naturale intellectus agentis &c.* et non est illa, quae legitur apud *Scotum* initio L. I. *Sententiar.* Interim esse *Scotistae*, probant ea, quae *Thomae* obmouet.

DLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 621. Folior. 256. f. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis distinctus, et unus ex XVII. illis, quos, ut verbosa Nota praevia commendat, M. *Andreas de Weytra* T. D. et S. *Stephani* Canonicus ad *Librariam Collegii Ducalis* inter Vivos donavit, inscribitur I. *Incipit prologus theoloyce veritatis Hugonis primi postillatoris totius biblie Cardinalis Ord. pred. Error,* de quo jam *Vol. I.* non semel monui; non enim *Hugo a S. Caro*, sed *Hugo de Argentina* *Compendii* hujus in VII. *Libros* divisi autor est. Horum *Librorum* praeit Index subnotatus an. 1404. ad cuius calcem varia *Αποκα* inculcata sunt, puta: *Prognostica* *Anni* juxta dies hebdomadis, in quos inciderint *Kalendae* *Januariae*, *Prognostica* de *Pueris* juxta eosdem dies, quibus nati fuerint, *Sermo brevis feria 2. post Pascha* de *Vita humana* sub *Peregrinationis* *Schemate*, de *Karena*, *Intronizatio plebanorum ad ecclesiam*, pluresque *Passus* *theologici* &c. ita, ut Opus ipsum fol. demum 5. inchoet:

M 3

inchoet:

1303

I C O D I C E S

1304

inchoet: *Veritatis theoloice sublimitas, cum superni sit splendoris radiis &c.* Ad *Vol. I.* Indicem. Ad calcem legitur: *Explicit liber Compendium theoloyce veritatis sub Anno domini Millesimo. CCCC. quarto. Amen dicant omnia.*

II. fol. 89. nitidior calamo *Commentaria in totum Matthaei Evangelium* sequuntur, quibus paullo recentior manus superscriptit: *Augustinus de Anchona sacre theologie doctor super matheum. qui quidem cum ultra omnes sue etatis theologos sine contradictione excefferit. a Matheo exordiens totum novum testamentum accuratissime declaravit. Obiit Augustinus Triumphus Anconit. Ord. Erem. S. Aug. anno 1328. ut docet ejus Epitaphium Neapoli in Suorum Ecclesia, in quo 36. volumina Librorum scripsisse perhibetur. Enumerant illa Oudinus, Fabricius, Lelongius et omnium instar Offingerus in *Biblioth. Augustin.* Ast ubi hic de Opere in *Matthaeum* memorat, hoc ei statuit initium: *Cum enim quietum silentium tenerent omnia &c.* Cum igitur Codex noster continuo a C. I. sic ordiatur: *Liber generacionis ihesu christi: Hic possunt esse quinque dubitationes. Prima utrum iste liber beati Mathei debeat dici liber evangelij ihesu christi, vel liber ihesu christi. Secunda. Vtrum caro assumpta a dei filio per generacionem temporalem fuerit ex semine ade. Tercia &c.* probabile est, Offingero rem esse de *Prologo*, seu *Prooemio* quodam, quo Codex hic careat. Placet ceterum*

methodus Operis, quod rectius *Dubitationes* seu *Quaestiones in Matthaeum* inscribas; omnium enim Caputum hic est ingressus: *Hic possunt esse quatuor, quinque, sex &c. dubitationes* Hinc etiam ad calcem Rubrica est: *Incipit Tabula questionum super evangelium Mathei.* Eas, ut multa alia Noftri, typis nunquam excusas fuisse putem; extare vero in *Vaticana* omnia ejus Opera Civium *Anconitanorum* sumtibus ex archetypis descripta in magnis et pulcherrimis voluminibus lego apud *Oudinum T. III. col. 600.*

DLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. H. 10 XVII. divisus in Tomos II. 8. *Theologia Scholastica* est ad *Summam Thomae Aquin.* exacta, cujus T. I. continentur Tractatus de Deo, de Angelis, de Actibus humanis, de Gratia; T. vero II. de Virtutibus theologicis, de Justitia et Jure, de Incarnatione, de Sacramentis. Cur porro Possessor ejus Ill. *Hobendorfius* locum ei olim inter Codices suos *m/s.* tribuerit, portentosa ejus Scriptura unice in caussa esse videtur, quae *Iliadem in nuce* aemulatur, nec absque vitri convexi ope legi potest, ut adeo Scriptorem et lyncis visu, et *Origenis* patientia praeditum fuisse oporteat. His adde modestiam, qua et suum et Autoris nomen reticuit.

DLXXXII.